

Hab. An Ackerrainen und Waldrändern bei Weimar in Thüringen, vor der Rodung zu Ackerland in Menge. l. Haussknecht 1873.

Auch Rb. fand sie in Thüringen 1811 und Waitz bei Altenburg.

*R. turbinata* Aiton.

Diese, durchaus dem Formenkreis der *Gallica*-Bastarde zugehörige Culturpflanze fand Wolf im montanen Wallis: Mayen de St. Barbara bei Sion völlig verwildert, wie sie im östl. Europa (Gegend v. Wien nach Koch) und in Mittelddeutschland (Main-Saalgebiet, Thüringen Rb.) dies nicht selten zu thun scheint. Die Walliser Pflanze hat halbgefüllte Blüten und ist steril. —

## Addenda nova ad Lichenographiam europaeam.

Continuatio vicesima prima. — Exponit W. Nylander.

### 1. *Lichinodium sirosiphoideum* Nyl.

Thallus niger vel nigricans, dense subpulvinato-stipatus (altit. 1—2 millim.), subeffusus, e fruticulis ramosis intricatis constans, rigidiusculus. Apothecia non visa.

In Finlandia, Hollola, supra thallum *Parmeliae saxatilis saxicolae* (Lang).

Genus *Lichineorum* thallo saltem accedens ad *Lichinellam*, sed gonimiis longe longitudinaliter seriatis, pluribus seriebus in quavis thalli parte (truncis vel ramis ejus) perductis. Thallus crassit. 0,1 millim. vel in ramis tenuior, minute cellulosus (minus distincte quam in *Homodio*). Gonimia glauca, diametris 0,008—0,014 millim.

### 2. *Collema subplicatile* Nyl.

Thallus virescenti-nigricans subplicatus, difformiter lobatus, mediocris; apothecia fusco-nigricantia, sat parva, urceolato-imprensa margine thalino turgido recepta; sporae 8nae tumide subfusiformes 5-septatae et septulis intercedentibus sensu longitudinali parvis simul divisae, longit. 0,026—34 millim., crassit. 0,011—15 millim.

Super saxa quartzosa inundata rivuli in Banatu (Lojka).

Facies fere *Collematis chalazani*. Comparetur *C. Euganeum* Mass,

3. *Coniocybe obscuripes* Nyl.

Similis *Coniocybae subpallidae* Nyl. in Flora 1874, p. 318, sed thallo glauco tenuissimo continuo vel evanescente, stipitibus fusciscentibus aut fuscis.

Super corticem alni putrescentis in Finlandia, Hollola (E. Lang).

Gonidia chroolepoidea. Sporae diametri 0,004—6 millim.

4. *Placodium dissidens* Nyl.

Subspecies esse possit *Placodii murorum*, cui sat simile sed laciniis magis discretis et subliberis. Colore thalli vitellino et laciniis planioribus (planiusculis vel convexiusculis) differt a *Placodio elegante*. Sporae longit. 0,009—16 millim., crassit. 0,005—7 millim.

In Anglia, prope Cirencester, supra tecta argillaceo-schistosa (Joshua).

5. *Lecanora olivacella* Nyl.

Thallus olivaceo-pallidus vel subvirescenti-pallidus, tenuis, rimoso-diffractus vel passim areolato-squamulosus, areolis planiusculis vel parumconvexis; apothecia subfusca vel subfusco-pallescentia (latit. 0,5 millim.), plana, demum biatoroidea convexa; sporae 8nae ellipsoideo-oblongae 1-septatae, longit. 0,009—14 millim., crassit. 0,0035—0,0045 millim., paraphyses mediocres apice incrassato sordide violaceo. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, deinde obscurata (thecae nonnihil violaceae tinctae).

Supra saxa calcarea ad Monspelium.

Species e stirpe *Lecanorae erysibes* notis datis bene distincta. Spermata arcuata, longit. 0,016—18 millim., crassit. 0,0005 millim.

6. *Lecanora luridatula* Nyl.

Quasi *L. umbrina* apotheciis biatorinis luridis planiusculis (latit. 0,5 millim.), obtuse marginatis. Sporae longit. 0,009—0,011 millim., crassit. 0,004—6 millim., paraphyses non bene discretae, epithecium luteo-fuscescens (subinspersum).

Supra lignum (saepe inundatum) molendinae in Finlandia (Lang).

Gonidia in hypothecio (versus perithecium) nonnihil intrusa. Spermogonia non visa.

7. *Pertusaria violaria* Nyl.

Thallus albido-cinereus glebuloso-diffractus, supra subcerebriformi-verrucosus, crassulus (crassit. circiter 1 millim.); apothecia non visa.

Supra saxa serpentina prope Limoges (E. Lamy).

Genus nonnihil incertum, nam esse possit hic Lichen *Lecanora* aut *Urceolaria*. Nota maxime peculiaris est chemica: thallus Ca Cl  $\pm$ , scilicet extus intusque violacee tingitur, K nonnihil flavescit.

8. *Lecidea anterior* Nyl.

Forsan subspecies *Lecideae erysiboidis*, sed sporae longiores (longit. 0,011—16 millim., crassit. 0,0035—0,0045 millim.).

Supra ligna putrescentia in Finlandia media (Norrlin et Lang).

9. *Lecidea subvorticosa* Nyl.

Sat similis *Lecideae vorticosa* Flk., sed sporis majoribus (longit. 0,015—21 millim., crassit. 0,007—8 millim.) et paraphysibus mollioribus, minus distinctis.

Supra calcem micaceo-schistosum in Tyrolia, Waldrast, altitudine 7500 pedum (Arnold).

Reactiones ambarum specierum conveniunt. Spermogonia autem in *L. subvorticosa* non sunt visa.

10. *Lecidea melaphanoidea* Nyl.

Sat similis *Lecideae melaphanae* (cfr. Flora 1869, p. 83) et vix differens nisi hypothecio infra medio incolore et gelatina hymeniali jodo e coerulescente vinose fulvescente vel subrubescente (thecis praesertim tinctis).

Supra saxa granitica prope Helsingfors (E. Lang).

In *L. melaphana* gelatina hymenialis jodo coerulescens, coerulescentia subpersistente (praesertim thecarum). In *L. melaphanoide* sporae oblongo-ellipsoideae, longit. 0,009—0,014 millim., crassit. 0,005—6 millim., (interdum crassitie solum 0,0045 millim. et aliquando spurie 1-septatae). Apothecia latit. 0,3—0,5 millim.

11. *Lecidea acervulans* Nyl.

Apotheciis fere sicut in *L. bacillari* (epithecio nigricante, perithecio etiam nigricante, hypothecio saltem infra violaceo-fusco), sed thallo granulato-squamuloso, glebuloso-diffracto.

Supra terram saxi serpentinei (inter Grimmias) prope Magnac-Bourg (Haute-Vienne) in Gallia (Lamy).

Thallus e squamulis supra planiusculis fusciscentibus et saepe quasi albedo-marginatulis concretis compositus. Apothecia plana marginata (latit. 0,6—1,5 millim.), saepe difformia. Sporae bacillares, longit. 0,034—36 millim., crassit. 0,0025 millim. Paraphyses mediocres apice incrassato nigricante (K obsolete violaceo mutato vel subimmutato). Faciem *Lecideae cinereo-virescentis* fere in memoriam revocat, sed accedit ad *Lecideam muscorum*.

12. *Lecidea praecontigua* Nyl.

Subsimilis *Lecideae contiguae*, thallo albo, contiguae areolato, mediocri; apotheciis nigris planis marginatis (latit. circiter 1 millim.), super thallum vix prominulis, sed sporis multo majoribus (longit. 0,023—30 millim., crassit. 0,011—16 millim.); paraphyses gracilescentes, epithecium fusciscenti-obscuratum. Jodo gelatina hymenialis intensive coerulea, dein vinose rubens.

Supra saxa basaltica in Mont-Dore (Lamy).

Thallus K—, I—. Spermogonia non visa.

13. *Lecidea sublutescens* Nyl.

Thallus albedo-lutescens vel ochraceo-albidus, tenuis, planiusculus, areolatus; apothecia planiuscula marginata (latit. 1 millim. vel minora); sporae 8 nae incolores ellipsoideae simplices, longit. 0,012—19 millim., crassit. 0,007—8 millim., epithecium coeruleiscenti-obscuratum vel violascenti-obscuratum, hypothecium (cum perithecio) nigrum. Gelatina hymenialis jodo intensive et persistenter coerulea.

Supra saxa calcarea vel micaschistoso-calcarea in alpinis Tyrolis, altit. 7000—7500 pedum (Arnold).

Species in stirpe *Lecideae petrosae* et prope *Lecideam cyanizam* distincta non solum notis allatis, sed insuper spermatis peculiaribus utroque apice incrassatulis (longit. 0,005—6 millim., crassit. fere 0,0007 millim.). Thalamium supra coeruleiscentis. Paraphyses mediocres molles.

14. *Lecidea lygdinisa* Nyl.

Thallus albus, sat tenuis, demum areolato-diffractus, indeterminatus; apothecia plana marginata (latit. 1 millim. vel minora); sporae longit. 0,020—23 millim., crassit. 0,010—11 millim., epithecium fuscoviolacee nigrescens, hypothecium (cum perithecio) nigrum tenue.

Supra saxa calcarea in Tyrolia, Waldrast (Arnold).

Affinis priori et quodammodo facie accedens, sed thallo albo, sporis majoribus, hypothecio tenuiore et spermatis cylindricis (longit. 0,008—9 millim., crassit. parum ultra 0,0005 millim.).

15. *Lecidea aglaeiza* Nyl.

Subsimilis *Lecideae aglaeae*, at thallo nitidiusculo, sporis minoribus (longit. 0,009—0,011 millim., crassit. 0,005—6 millim.) et gelatina hymeniali jodo vix tincta (theis fere solis tum coerulescentibus et dein vinose violaceis vel violaceo-rubescens).

Supra saxa silicea in Arvernia haud procul a Mont-Dore (Lamy).

Species sine dubio distincta, sed spermogonia nondum visa, forsitan ad stirpem *Lecideae parasemae* pertineat. Thallus crassit. 1 millim. vel saepius crassior et fere usque 2 millim. attingens, areolis convexiusculis inaequalibus sursum circum-circa nigris (nigredine ex hypothallo ascendente). Stratum corticale K non tinctum vel lente nonnihil lutescens. Apothecia inaequalia immarginata (latit. 0,7—1,5 millim.), intus obscura, paraphyses mediocres apice incrassato smaragdulo-coerulescente.

16. *Lecidea fuscoatrata* Nyl.

Sat similis *Lecideae fumosae* var. *fuscoatrae*, sed thallo Ca Cl — et sporis minoribus (longit. 0,008—9 millim., crassit. 0,0035 millim.). Gelatina hymenialis jodo coerulescens, dein thecae violacee tinctae.

Supra saxa gneissacea in Tyroliae alpebus (Arnold).

17. *Lecidea modica* Nyl.

Thallus cinerascens-albidus tenuis depresso-subgranulatus parvus vel evanescens; apothecia nigra plana marginatula vel cito convexiuscula immarginata (latit. 0,5—0,7 millim.), intus alba; sporae 8-nae nigrescentes ellipsoideae 1-septatae, longit.

0,012—17 millim., crassit. 0,006—8 millim., paraphyses fere mediocres apice incrassato smaragdescente (inde epithecium ejus coloris), hypothecium incolor solum strato infero et perithecio subviolascanti-fuscis. Gelatina hymenialis jodo coerulescens, thecae dein vinose fulvescentes vel subrubescentes.

Supra saxa quartzosa in Haute-Vienne (Lamy).

Species distincta e stirpe *Lecideae olivaceo-fuscae* (Anzi). Thallus K—, I intus +. Epithecium acido nitrico roseo-purpurascens (praecedente coerulescentia); K non tinctum.

#### 18. *Lecidea sequax* Nyl.

Forsan varietas *Lecideae myriocarpae* thallo albido evanescente, apotheciis in rimis lapidis seriatis convexis (latit. 0,5—0,6 millim.). Sporae longit. 0,011—12 millim., crassit. 0,006 millim. Gelatina hymenialis jodo coerulescens, dein thecae vinose tinctae.

Supra saxa quartzosa prope rivum Vienne in Gallia (Lamy).

#### 19. *Verrucaria subviridula* Nyl.

Accedens omnino ad *Verrucariam viridulam*, sed areolis thalli subverrucoso-rugulosis (minus tamen quam in *V. virente*) et sporis longit. 0,021—25 millim., crassit. 0,011—13 millim. Pyrenium nigrum.

Supra saxa calcarea in regione borealilacus Ladogae (Norrlin). In thallo observatur *Endococcus gemmifer*.

### Observationes.

*Collema papulosum* Ach. forsán sit *C. granuliferum* Nyl. in Flora 1875, p. 103, sed planta Achariana sterilis neque omnino certa (lignicola ex Helvetia).

*Collema hydrocharum* Ach. est forma *Collemodii plicatilis*.

*Stereocladium apocalypticum* (Nyl.) Sibiricum in Europa non fuit observatum, sed cl. Arnold aliam ejusdem, ut videtur, generis speciem detexit in Brenner Tyroliae, thallo toto albido sursum latiore et demum nonnihil diviso (altit. 2—3 millim., stipitibus compressiusculis basi latit. 0,3—0,5 millim.), parte thalli corticali-gonidiali facile leprose-dissoluto, crescentem stipatam super saxa micaceo-schistosa. Dicatur *Stereocladium Tyrolense*.

*Sticta aurata* inter *Stictas europaeas* pertinet ad genus separandum *Parmostictam*, apotheciis bene parmelinis mox dignotum. Plures species exoticae eo pertinent.

Inter *Umbilicarias europaeas* etiam rite distinguenda sint duo genera, quorum alterum *Umbilicaria* sensu strictiore (huc *U. pustulata* et *U. atropurpurea*) differt apotheciis externe receptaculum thallinum e strato corticali et medullari (exclusis gonidiis) constans offerre; alterum, *Gyrophora* meo sensu, apothecia lecideina (plus minusve gyrosa) habens perithecio textura differente a textura corticali thalli, in quam transit. Ita *Umbilicaria* analogiam exhibet cum apotheciis *Stictarum* (exclusa *Parmosticta*) et *Stictinarum*, quoad receptaculum. — Simul observetur quoad typum anatomicum thalli, ex. gr. in *Umbilicaria pustulata*, eiadesse:

1° Stratum epithallinum, quo thallus plus minus quasi suffusus conspicitur, laxè cellulosum;

2° Stratum corticali-gonidiale, ubi videre licet gonidia gigni in infera parte hujus strati minute cellulosi et intra cellulas (nec ullo modo e filamentis medullaribus vel myelohyphis, ut etiam dici possunt) et simul gonidia, praesertim inclusa, vix ulla divisione multiplicari; pauciora saepius gonidia inter radices superiores myelohypharum libera;

3° Stratum medullare album, ex myelohyphis laxè intertextis granulationibusque inspersis formatum;

4° Stratum corticale inferius crassum et solidum, in quo superius est et praedominans stratum cartilagineum ex filamentis conglutinatis (chondrohyphis) horizontalibus<sup>1)</sup> compositum (quale deest in parte concava cujusvis „pustulae“ thallinae) et infra hoc stratum obvenit aliud inferum, etiam rigidum, cavitatibus cellulosis minutis crebre excavatum; itaque hoc inferius solum sub ipsis „pustulis“ obvium, strato chondroideo (e chondrohyphis constituto) ibi deficiente.

*Pertusaria communis* \* *leiotera* facie externa est *Pertusaria leioplacae*, sed sporis 1—2 in thecis. Fagicola in Dania (Branth), in Gallia (Lamy).

1) Auctor parum expertus hoc respectu loquitur de „filamentis longitudinaliter directis.“ Quid hoc significat in *Umbilicaria*, quae nihil habet longitudinale, sed membranam varie rotundatam sistit. Si dicta fuissent filamenta corticalia sensu radiali (vel in sensu radiorum thalli) directis, hocce intelligibile aliquid obtulisset, sed ea longitudinaliter disposita invenire in thallo *Umbilicariae* est sane ridiculum. Inter alios haud paucos errores, quos idem scriptor quoque in hoc eodem capite committit, notetur adhuc, eum stratum corticale chondroideum sumere pro medulla!

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1875

Band/Volume: [58](#)

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: [Addenda nova ad Lichenographiam europaeam 297-303](#)